EPINICION:

VEL

ELOGIUM

Fæliciſſimi, Sereniſſimi, Fortitiſſimi

LODOVICI XIIII.

GALLIÆ, & *NAVARÆ* REGIS, &c.

Pro nuperis paſſim victoriis, in

FLANDRIA;

Præcipuè pro deſideratiſſimâ reductione

DUNKIRKI,

Capti, Redactique ſub confœderatis auſpiciis

FRANCO-BRITANNORUM.

Calamo *PISCATORIS*,

EBUCCINATUM,

Nec non Eminentiſſimo longè

MAZARINO

Cum Polemarchis, Tribunis, & Illuſtrioribus aliquot

INSCRIPTUM.

Effigies eminentissimi **Iulij**

Is

CARDINAL MAZARINI S.R.E.C.

Quem Sacra Septi-jugæ peperere Palatia **Romæ**;
Gallia *Sublimi Constituit Loco:*
Iuli *Sic Graderis; nec Climate Claudēris vno;*
Arcta nimis Famæ Terra, vel vnda Tuæ.

P: *Piscator.*

Chriſtianiſsimi Galliarū & Navar. Regis
Fidiſſimo verè Miniſtro:
Europæi circumfuſique paſſim Syderis
ATLANTI STRENUO
Nec Argo minus Centoculato;
Principum Lampadi pluſquam terreſtri;
Præſulum Coronæ pluſquam gemmeæ;
Summo noſtri ſæculi, ſuæque Patriæ
COMPLEMENTO
ROMANISSIMO
Julio Mazarinō
Eminentiſſimo
S. R. E.
CARDINALI:
Victorioſiſsimæ Reipub. Venetiarum
SATRAPÆ:
Duci de NEVERS; itidemque
Duci de RHETELOIS, &c.
In Caſtris jugès Achylli;
In Curiis omnino Neſtori;
In Conſultationibus ſemper Oraculo.

P. P. Poetarum minimus, hoc opuſculum
Patronorum maximo dicat devovetque.

Quum ſit (Eminentiſſime MAZARINE) mos.

apud Poetas minores (in quorum ſim Catalogo) Patronos ambire maximos; audaciæ noſtræ precor ignoſcas (*Cardinalis eminentiſſime*) quod auſim tam levidenſe, tamque tenue munuſculum tanto *viro* devovere. *Anno* MDCLVII. Pæana triumphalem de Inauguratione noſtri *Olivari* Tibi unice dedicatam dudùm deſignaveram; ſed quum ſit ambigendum nùm manus, vel oculos Eminentiæ Veſtræ pervenerit, duxi mecum & hoc etiam *Epinicion* Tibi, Delubro tanquam Apollineo, Lycæoque literarum, Conſecrare. Tibi inquam, nec non Amicis vere tuiſſimis Excellentiſſimis Heroibus Dom. *de Bordeaux*, & Dom. *Lockharto*, ut in illo triumviratu, ſublimius, *Lodovici* victorioſiſſimi Laudes veluti curru triplici veherentur.

Vale (*Cardinalis eminentiſſime*) & faxit *DEUS* opt. Max. ut ſub adminiſtratione veſtra Res Galliarium feliciſſime ſuccedant, ut ille *Lodovicus*, Orbis Europæi par amor & miraculum, indies victor progrediatur & ſemper auſpicatiſſimo,

Æquet *Avum* Bello; ſed Pietate *Patrem*.

Quod animitùs exoptat

Eminentiæ Veſtræ vere devotiſſimus

P. Piſcator.

Epinicion Lodovici XIIII^ti. *de Dunkirko Triumphantis.*

SAlve liligeri lux optatiſſima Sceptri! (vitum
BORBONIDUM ſublime Jubar! Cui, Sydus, A-
Cum Titulo, Diadema, dedit, caſuſq; per omnes
Aurea ſtelliferis ſtipârunt Numina turmis.
Sic Rex indiciis oriris Cœleſtibus Infans,
Inque ſeneſcentis graderis ſolamina mundi.
Te nato, Natura novo plauſiſſe triumpho,
Viſaque collapſi reparâſſe cadavera ſecli.
Gallica venturo ridebant aſtra Sereno,
Cumque *Navarræis* radiabant lilia Gemmis
Pulchrius, & pexis ibant in Serta Capillis
Sceptriferum viſura Procum, viſura Parentem.
O mundi melioris amor! Quem, credere fas eſt
Excepiſſe ſinu Charites, Formæque lepores,
Et Suadæ teneris Mammam immulſiſſe labellis.
Officiis certabat hyems; & odoribus halans
Ambibat ver molle toros, circumque Roſarum
Lactea purpureos ſparſit Cunabula nimbos.
Debuit hæc veſtris dudùm Natalibus ætas
Primula, *Regali* quum vix de *Matre* receptus,
Hauſeris Ætherias miſtas mortalibus auras.

Epinicion Lodovici XIIII^ti. *de Dunkirko Triumphantis.*

Aſt ubi ſepoſitis cæpit grandeſcere cunis
Ætatis creſcentis honos, majora mereri
Appetis, ut patrium ſolides virtutibus orbem.
Nec tum deſidiæ ſteriles nec mollia luxu
Otia lactabant puerum ſed maſcula multum
Munia, ſeù gnaris obliquans ora lacertis
Fumantem componis Equum; Seù ficta Palæſtræ
Prælia, vel greſſus placuit formare decoros
In numerum, ſaltuque levem librare Juventam.
O quoties croceo quum vix deceſſit *Eoo*
Phœbus, agris videre ſuis Te *Dryadès*, atque
Faunorum numeroſa cohors per luſtra Ferarum
Rumpentem, & patrios cingentem indagine ſaltus.
His Exercitiis teneros Regalibus annos
Imbuvis,& primâ dignam premis indole Spartam.
Sic prope barbaricæ Rhodopeia flumina Thracès
Odryſius ſudabat Eques, & parvus agebat
Bella Puer, Chyronque ſuum formabat Achillem.
Deſinat Alcyden tandem mirarier ætas
Poſtera, quod Puer, eliſos perſtrinxerat angues,
Sive Cleonæi frænaverat ora Juvenci,

Sive

Epinicion Lodovici XIIII^ti. *de Dunkirko Triumphantis.*

Sive quod Antæum luctu, Stymphalidas arcu
Vicerat, aut Monſtris truncârat Gymmade frontem.
Tanta tuæ potuere manus; Tibi Tanta fatemur
DUNKIRKI Domitor, Qui clauſum in carcere ſternis
Semivirum *LODOVICE* Bovem, tumidamq; Chymæ-
Bellipotens cicuras, auraraq; vellera Transfers, (ram
Pomaque Cantabrico male cuſtodita Dracone.
I ſæcli Coryphæe tui! Rex maxime Regum
Macte Tuâ virtute vola, & ſucceſſibus orbes
Victor *Io* metire, novos fælicia ſive
Trans Gangen Tua ſigna feres, geminoſque cis Indos
Martia morigeris ſcribas Mandata Moluccis.
Sive Cataloniis impones jura colonis;
Terrebiſve Italam diſploſo fulmine gentem.
Seu cum *GUSTAVO* junctus, fundamina perdes
Auſtriacæ memoranda Domus, cognataque Iberi
Ferrea convulſis perrumpes fædera vinclis:
Seu jam de propriis arcens incendia terris,
Flandrorum popularis agros, cladeſque rependens
Cladibus, obſeſſum clauſtris circumvenis hoſtem.
O quàm materiam Belli Tua Gallia fundit!

Quanta

Epinicion Lodovici XIIII^mi. *de Dunkirko Triumphantis.*

Quanta ſub Indigenis deſudant Ærа Caminis,
Et conſcriptæ Acies, denſiſque Examina turmis
Ad nutus properare tuos, quæ ſtagna Garumnæ,
Aut Ligerim, Rhodonumq; bibunt; Quæ Sequana nu-
Aut Arar eduxit ripis; venere Valachri (trix,
Cum Batavis, Morinique ſuis, populique volones
Qui Scalden, Rhenumque colunt, *In fœdera Galli*
Ut mundum coiiſſe putes, dum ſponte ſequuntur
Suiſſiones, Scotuſque ſuo comes annuit Anglo.
Rarò equidem, rarò, tantæ Ductore ſub uno
Convenere manus, vel tot diſcrimina vultus.
Eripuere Diem numeri, vexillaque credas
Tot nubes glomerare novas, Cataphractaque longe
Agmina pulvereo Solem ſubducere nimbo.
Sic Paridis non paſſa ſcelus, ſtirps omnis Achivum
Vindictâ ſtimulante manus, exibat in unum
Pergamon, Iliacam jurata exſcindere gentem.

Hos inter Ductor Veheris *LODOVICE* triumphos,
Inſigni ſublimis Equo, Cui Cyllarus ille
Cederet, & Theron, & anhelis naribus Æthon.
Si Dominus peteretur Equis, ad fræna veniret

FRANICA

Epinicion Lodovici XIIII^ti. *de Dunkirko Triumphantis.*

FRANCICA, Nereidum ſtabulis nutritus Orion,
BORBONIOQUE ſuas præberet Pegaſus alas,
Portaretque libens, & Majeſtate ſuperbus
Bellerephontæas indignaretur habenas.
Quam bene ſub thorace ſedent Mavortia Corda
Quum conos rutilare faces, chalybemque coruſco
Vertice vibrantes late diffundere flammas
Adverſæ videre Acies! trepidare putares
Corda manuſq; virûm, tremuloq; in ſtapede plantas
Stare diu neſcire, *Tui Præſentia tantæ eſt.*
Dicite Ruricolæ, quâ tum formidine fortis
Perculſus pallebat Iber, quum murmure rauco
Bellica *DUNKIRKAS* pulsârunt claſſica portus,
Lætaque *LOOISIAS* cecinerunt Tympana laurus.
Flandrorum ſtupuere Sophi; doctumque Duacum
Quid faceret vix ſenſit inops, Gandavaque tellus
Pontifluis vicina Brugis; Gravelinga ſopore
Cumq; Novâ-Portu excuſſa eſt Oſtenda, Charybdis
Altera, & Angliaci prædatrix Scylla Profundi.
Flandria dumq; ſedet mærens ſub pulvere tecta,
Et ſparſis laniata comis, en Geldria tota

Epinicion Lodovici XIIII^ti. *de Dunkirko Triumphantis*

Ex animis cecidit, parilique Brabantia Buſto
Indoluit moritura tegi: Pavor ille per omnes
Ibat, & attonitam turbabat murmure gentem.
Nec Pandioniæ ſic contremuiſtis Athenæ
Poſtquam trux viduas victor vaſtaverat urbes
Medus, & abductis habitârat Græcia tranſtris:
Nec ſic diriguit Latium quum vicerat Alpes
Hannibal, & nactis peteret Capitolia Cannis.
DUNKIRKI timor ille, premi quum mænia vidit
Millibus excubiis, cunctoſq; aperire receſſus
Agmina, & Angliacis vallari *Salſa* carinis.
Inde Tridentiferi fremuerunt Regna tyranni,
Et Phorci, Glaucique greges fugere Profundum
Tritonum comitante choro, totumque ſub algas
Abdita ſquamigeris hæſit plebecula pinnis.
O Rex laurigeris longum devote trophæis
Quam cœlo *LODOVICE* places! dum Bina miniſtrent
Imperiis Elementa Tuis, & Pontus, & Aër,
Et non inviti coeant ad Carbaſa venti.
Illa per unanimes ibat fiducia Nautas,
Et Mavortis amor, jaculati pondera ferri

Epinicion Lodovici XIIII^ti. *de Dunkirko Triumphantis*

Fundere de Ratibus, veteremque ulciſcier hoſtem.
Sed *Peditum* labor unus erat, nulloque labore
Diminuenda manus, propiori Indagine Saltus
Cingere, & impoſitâ Muros circundare zonâ
Francigenis conſtant Angli, & communibns Urbem
Invadunt ſtudiis, idem furor omnibus, idem
Ardor erat reſerare vias, prædâque potiri.
Sed furor adverſus prohibet, ſociataque Iberi
Ad muros converſa manus conatibus obſtat.
Scilicet ante ſuos fulgens in margine muri
MARCHIO LEDENSIS* (cui vix hæc ſæcula norunt
Conſilio, vel Marte parem) Pugnantibus artes
Ingerit, Exemploq; audaces inſtruit iras.
Adſtant unanimes Belgæ, *Sociumque* pericli
Agnoſcunt, itidemque *Ducem*, ſenſuſque pudore
Incendente, novis afflantur corda favillis.
Omnibus hinc animus notos defendere cives,
Fidaq; pro patriis opponere pectora muris:
Hæc haſtis; legio ſcloporum glandibus inſtat
Altera, & horriſonis longè metuenda procellis;
Obvia plumbipluo conſternit fulmina nimbo.

* *Marchio de Lede* heros clariſſimus, & diu Gubernator *DUNKIRKI*, in cujus defenſionem fortiter occubuit.

Sic

Epinicion Lodovici XIIII^ti. *de Dunkirko Triumphantis.*

Sic ubi contigui ſcandentem culmina nidi
Victrices Aquilæ dirum videre Draconem,
Implumes Partus, & chara cubilia vallant
Unguibus, iratiſque cient certamina roſtris.
Cinctorum mirere animum, & bellantis Iberi
Pectora, de patulis ſiquidem prorumpere portis
Mens erat, obſeſſis Francoſque expellere muris:
Nec mora, nec requies; en jam ſuper alta feruntur
Agmina cingentum, damnumque repellere damno
Approperant, propriis noſtroſq; laceſſere foſſis.
Magna quidem virtus, ſed ſors fidentior æquo
Contigit *Hiſpanis*, quia cædibus empta rubebat
Laurus, & infidæ Palmis coiere Cupreſſus:
Nempe per obſtantes dum Pugnaciſſime turmas
Infælix *LEDÆE* ruis, fatalibus armis
Cingeris, offenſoque cadis ceù victima cœlo,
Ut fuſo patrios placares ſanguine manes.
Heu dolor, & noſtro damnum plorabile ſeclo!
Occidit Armorum Genius; Digituſq; *PHILIPPI*
Alter, & Auſtriacæ lumen memorabile Cauſæ.
Heu mihi Mæcænas, Muſiſque cadentibus Atlas
Occidit

Epinicion Lodovici XIIII^ti. *de Dunkirko Triumphantis.*

Occidit ante diem ! dignus tranſendere metas
Pulveris Euboici , Qui mentis Acumine vicit
Et Pylium Ratione ſenem ; ſua Flandria narret
Cætera , magnanimis cujus ſat cognita Belgis
Pugnandi virtus , Pietaſque potentior armis.
Nec *DUNKIRKIADUM* ſolum dominatur in urbe
Cinctorum ferrata ſeges , ſed fuſius ibat
Altera Flandriacas Acies collecta per oras
Introitu metuenda truci , Cui mens fuit una
Suppetias portâſſe ſuis , & in urbe miſellos
Solari , ſocioſque ſuo ſuccurrere damno.
Eventus fecere fidem , & per damna ruentes
Hoſtiles in damna manus ; ſit teſtis Iberi
Strata Acies , nec non mutilatis undique membris,
Et profligato fugiens ingloria trunco.
Sed victrix parto Gens *Franco-Brittannica* Campo
Lætior erigitur , velutique Ciconia nidos
Ingreditur veteres , & munia nota faceſſit.
Ergo iterum ſolitas capiunt munimina leges
Hoſpitibus calcanda ſuis ; Jam recta per urbem
Linea porrigitur ; mutat quadrata rotundis

Epinicion Lodovici XIIII^ti. *de Dunkirko Triumphantis*

Alter, & ut melius fluxuræ emblemata vitæ
Fingeret, obliquæ componit Cornua lunæ.
Tentabant alii nitrato pulvere fibras
Et venas aperire novas; Plutonia rupit
Clauſtra labor, cæcæque itum eſt in viſcera terræ.
Ficta vetuſtorum ſileant Deliria vatum,
Prælia nec tanti faciant, quum Theſſala quondam
Per Juga Centauri ſtruxerunt bella Bimembres,
Pulſaque Terrigenæ minitârunt Sydera fratres.
Ceſſet Romulidum grandes mirarier auſus
Poſteritas, & ſæva tuas Alleſia turres,
Et quæ Dirrachium fuſæ cinxere coronæ.
O quem multifidis hæc propugnacula formis
Crevere in numerum, quotieſque puerpera tellus
In damnum fæcunda fuit, dum ceſpite ſtaret
Ceſpes, & impoſitâ premeretur Pelion Oſsâ.
Jam Tyrias rediiſſe acies; jam mænia Byrſæ
Longius obſeſſæ, & quondam Carthaginis arces
In Britones migrâſſe patet, Druidumque ſub Armis
Cæſareos meruiſſe Duces. Spectate renaſci
Ilion in Morinis, hæc Flandris altera ſurgunt

Pergama

Epinicion Lodovici XIIII^ti. *de Dunkirko Triumphantis.*

Pergama, nec ſolos agitârunt fata Pelaſgos.
Nulla dies virtute vacat, vigilive labore
Cingentum, miro ſurgunt molimina more,
Protruduntque operas operæ, centenaque ſeptis
Septa ſtruit tranſverſa labor; ſuperata vetuſtas
Deſinat Herculeos noſtris conferre labores,
DUNKIRKUM nova Lerna redit, parituraque colla
Parturit, inque diem gleboſa repullulat hydra.
Non procul a Muris urbis ſabuloſus arenæ
Undique mons tumuit, de quo datur anſa videndi
DUNKIRKUM potior, totaſque offendere turres.
Proh ſedes damnoſa ſuis! fatalis honorum
Circule! magnanimûm Bellatorumque palæſtra!
Ipſa torum, tumulumque dabas, longumque ſtetiſti
Virtutis limes, dimenſaque linea vitæ.
Hèic Francorum Acies fixis conſiderat armis,
Hèic Britonum veterana phalanx, quos gloria lethi
Edocuit ſpreviſſe metus, vultuque tremendo
Ire per imbriferi diſploſa tonitrua plumbi
Fortiter, & pulchræ lucem poſtponere famæ
Scilicet illa phalanx crebris exercita bellis

Tam

Epinicion Lodovici XIIII^ti. *de Dunkirko Triumphantis.*

Tam dudum viciſſe ſciens, quam cedere retro
Neſcia, collatis ſtetit imperterrita turmis.
His, cum belligeris ſub eodem fædere Francis
Tutius innixus, librari Bellica Ductor
In Turres Tormenta jubet, quibus alta feriret
Culmina Murotum, quateretque morantia clauſtra.
Tormentis nec ſola fides; graviora parantur
Inſtrumenta necis, dum mirâ *MACHINA* mole
Prodiit, obſeſſam terrens mugitibus urbem,
Saxaque concuſſis rumpens ſcopuloſa cavernis.
Vaſtior Illa quidem ſpatiis immanibus oris
Stabat, & horrendo latrantia guttura rictu
Impactos vomuere Globos, & torua molarum
Fulmina Lemniacis vix conformanda Caminis,
Ipſe licet Steropes, & trux cum Bronte Pyracmon
Sudarent, facerentque novas incudibus Ætnas.
Illius ad Tonitru, credas caligine cœlum
Umbrari piceum, & quaſſæ fundamina terræ
Commotis migrâſſe jugis; Metuere Supremum
Obſeſſi properâſſe Diem, Terriſque ruiſſe
Tartara, & ignivomum rurſum erupiſſe Veſeium.

Epinicion Lodovici XIIII*i*: *de Dunkirko Triumphantis.*

Et labi jam cuncta timent, retorque referri
In Chaos antiquum moriturum Sydus, & Orbis
Funus, ab accensis ruere irrevocabile flammis.
Haud secus annosus prægrandi corpore Cervus,
Qui cursu ventos, cornuque æquaverit ornos;
Quique Gregis, Nemorumque Pater per sæcula longa
Audiit; Ille pedum fidens, velocior Euro
Prata pererravit, damnumque impune Colonis
Intulit innumeris, Venatorumque furores,
Vinctaque Vulnifico risit Venabula Conto:
Sed si fortè loci, cæcâve ambage viarum
In foveas errore cadat, mox agmine septus
Centeno, rationis inops, & nescius artis
Perstat hians, populi circumcingente coronâ,
Latrantumque canum, lituisque sonantibus, æger,
Audit sintiimi glisentia murmura fati.
Monstrârunt Exempla fidem, indomitumq; probârunt
LOOISIO nihil esse pio, tutumve *Philippis.*
Ecce Urbs illa metus, Britici Terrorque Profundi
Jam didicit metuisse sibi; Fortissima pubes
Stabat Iberorum Væcors, & turbine tanto

Epinicion Lodovici XIIII^tj. *de Dunkirko Triumphantis*

Velle mori mens una fuit, niſi Gratia *REGIS*,
Et pia mulſiſſet crudam Clementia mentem.
Blanda ſuſurratrix hinc Spes, incredulus illinc
Stet Metus, alterno miſcentes prælia motu :
Pugna anceps, & longa fuit, dubiuſque triumphus:
Sed monitos graviore malo, & vergentibus aſtris
Dum nova *MARDICCI* voluant, venturaque damna,
Tandem animos vicere metus, mediiſque medullis
Lapſa, repentinos ſuaſit formido Receſſus.
Sic Rex alitibus ſemper *LODOVICE* ſecundis
Progrederis, toties pugnans, totieſque triumphans.
O magnum virtutis opus ! quod ſera revolvent
Sæcula, venturo nec mox abolebitur ævo.
Dicite Brutigenæ quàm nunc Victoribus ingens
Panditur Imperium Pelagi ! quantumque feremus
Auſpiciis *LODOVICE* tuis ! Te vindice *Duni*
Pacificæ ſulcantur aquæ ; Te vindice paſſim
Mercantum revireſcit honos, portuſque per omnes
Semoto impavidi remeant Cuſtode Brittanni.
Illa Latrociniis furtiſque accommoda ſedes,
Et ſcelerum damnoſa domus, ſulcantibus undas
Finitimas

Epinicion Lodovici XIIII^ti. *de Dunkirko Triumphantis:*

Finitimis jam portus erit, placidiſſima Nautis
Portus, & Angliacis ſtatio fidiſſima terris;
Dum Tu Bellerophon per littora noſtra rotantem
Brachia Geryonem vaſtatoremquc Typhœum
Inarime premis, & circo breviore coerces.
O quot ſubjectam quum tunc vehebare per Urbem
Bellica denſatis ibant Examina turmis
In vultus converſa tuos, & fauſta precantum
Millia, ſuffuſis ſtabant ad ephippia Votis!
Victor io! LODOVICE vige! celerrime vive
In longos LODOVICE dies! --. Convexa tonabant
Vocifero convulſa ſono; Tormentaque paſſim
Lætitiam reboare parem; ſic clarus ab Indo
Thyrſiger Ille redux vehebatur lyncibus Evan;
Sic Latiæ Cor *Roma* plagæ, redeuntibus olim
Applauſit Ducibus, tunc quum Capitolia Paulus
Scanderat, & vinctum ſpectarunt Roſtra Igurtham.
O quam terrificis lucebas mitior armis!
Auctaque belligero majeſtas Regia ferro!
Aſpice ut inſignes Cives, Burgique Potentes
Stellarum in morem Phœbo egrediente cubili

Hiſpanas

Epinicion Lodovici XIIII^ti. *de Dunkirko Triumphantis*

Hiſpanas poſuere faces, ciliiſque remiſſis
Stent, de *BORBONICO* petituri lumine lumen.
Aſpice flammiferis ut formidabilis armis
Ordo Ducum cataphractus eat; ſtat fædere pulchro
Circumfuſa cohors, & ſparſa Orichalca coruſcant.
Sic novus exoriris *Titan*, & *Apolline* major
Cinctus ab innumeris gladiis, jacularis utrâque
Fulguris ex *Acie* radios, quibus obrutus excors
Phœbus hebet, tremuloque dies obtunditur auro.
Sume paludatas Victor *LODOVICE* ſecures,
Et laurus aſſume, uno quas protulit anno
Ipræum, cum Gravelingâ, Dixmevaque ſupplex,
Et bellatrici ſuccumbens Fernia Dextræ.
Sume Paludatos iterum *LODOVICE* triumphos,
Et Laurus ſuperadde novas, quas inclyta *Pallas*,
Et nectit Bellona Tibi; Cui, maximus Æther
In vigili ſtatione manet, dum lætus Erytheus
Annuit, & ſociâ fulgens cum conjuge Cepheus,
Atque Ariadneæ radiant ad Sceptra Coronæ:
Arctophylax famulatur ovans, & vibrat Orion
Evaginatum cæptis ſublimibus Enem.

Epinicion Lodovici XIIII^ti. *de Dunkerko Triumphantis:*

O quanto Procerum numero Te Gallia ſtipat,
Et *MAZARINUS* Gallorum fidus Achates — Concluſio ad eminentiſſimum Cardinalem.
Imperii tutela Tui, Cui, provida virtus,
Sparſaque per geminum micuit Prudentia Regnum:
Cujus bellipotens animus, plaudentibus aſtris,
Fortunam domuit, Ferrataque rupit honorum
Clauſtra, manu referante viam, documentaque mundo
Certa dedit dignum ſe tandem *Pace* futurum
Rectorem *Belli* qui tot ſedare tumultus
Gnarus erat, ſalvis peſtemque avertere Francis.
Hinc Francorum *Atlas* poſtquam deceſſerat ingens
RICHELEUS, novus *Alcides* Tu *JULIE* Francis
Succedis, fuctoque humeros ſupponis Olympo.
O mihi poſt nullas *JULI* memorande Tiaras!
Si decus antiquum, Scutique Inſignia, Roſtris
Romanis revoluta, loquar; rediere Trophæa
Exulis Aſtrææ, veteresque ex *Urbe Secures*
In *Ceras*, migrâre Tuas, ubi * *Victa*, triumphat, — Ipſius Inſignia pervetuſta.
Sanguinis immunis, nec jam nocitura, *Bipennis*.
Quid celſas memorem dotes? Quid acumina Mentis,
Aut Suadam linguæ retcram? *Biniſve*, probatam

E *LOVISIIS*,

Opinicion Lodovici XIIII^ti. *de Dunkirko Triumphantis.*

LOVISIIS, ſine labe, fidem. Medicamina quanta
Conſiliis fluxere Tuis quum Gallia tota
Innumeris, ægrota malis, mera mortis imago,
Et tumuli ſtetit Umbra Sui! Mox Tu Pater ample
JULIE Francorum fulcrum, vergentibus Ipſis
Præficeris ſublimis Obex, reprimiſque ſonoras
Torrentum furias, Tempeſtatumque ſerenas
Nubila, & incolumi *Regi*, pariterque *Popello*
Conſulis, alternas ſatagens componere partes.
O quoties nitido quum nondum Phæbus Eoo
Æquoreis remeâſſet aquis pia turba clientum
Obſita ſupplicibus cinxerunt atria votis!
Hos opibus, monitiſque juvas, cunctoſque benigno
Excipis affatu clemens, & *JULIE* quantum
Te penes eſt, querulos raro demittis euntes.
Nec licet innumeræ Te turbant undique Curæ,
Interdumque jubent totas tranſcurrere noctes,
Vidimus iratis ſtringentem lumina rugis.
Blanda ſerenatam ſpargit clementia frontem,
Pacatoque ſuam poſuerunt pectore ſedem
Majeſtas, humiliſque tamen cum pondere, Geſtus.

Larga

Epinicion Lodovici XIIII^ti. *de Dunkirko Triumphantis.*

Larga manus, liberque animus; foribuſque nefandam
Trudis avaritiam; Munus mirabitur ingens
Nuper obæratus Venetus, *Memorabile DONUM*
Poſteritas quum ſera leget, diſcentque nepotes
Quæ ſit inexhauſtæ vis *MAZARINE* Fodinæ.
Te vocat Indigenam juſtè, natumque ſalutat
Roma ſuis magis aucta jugis, Palatia ſpectans
Magnificæ monumenta manus; Itidemque ſalutat
Sequana Te ſocium Civem, ſublimia cernens
Marmora *Pariſiis*, ductamque ad Sydera Molem.
Nil tamen humanum quod ſit, divina moratur
Mens tua, nec turget, tantove gravatur honorum
Faſce, ſed emergens per tot molimina, conſtat
Par ſemper, ſimiliſque ſibi; ſic plurima quamvis
In Mare detrudant glomeratos flumina fluctus,
Hos Thetiden ſenſiſſe pudet, nec parcior alveo
Defecit, aut tumido ſtagnat torrentior æſtu.
Francigenis Mare tale fluens, ſtas *Sydus JULUM*
Auſoniæ, Mundique Pharos; Cynoſura Britannis
Certior, at ſtrato metuendum Fulmen Ibero.
Quam fixis *LODOVICE* ſeris ſtant ferrea Regni
Limina,

Epinicion Lodovici XIIII^ti. *de Dunkirko Triumphantis.*

Limina, & Imperii valvæ quæ Cardine tanto
Incumbunt, Quo ſtante, rotis Europa vacillans
Siſtitur, & dubii libratur Machina mundi.
I *MAZARINE* auſpiciis fælicibus! Ito
Dexter Ariſtides Druidum! Qui, Delphida Celtis
Jungis, & Euboicis potiora Oracula terris
Tarpeia de rupe ſonas, ut Gallia diſcat
Te *Cicerone*, loqui, & Regina *LUTESIA* tanto
Conſule, Laurigeræ tandem foret æmula *ROMÆ.*
Quo pede cœpiſti, perge; ut Te Conſule, *REGIS*
LILIGERI Vexilla volent, vectuſque per Alpes,
Tranſque Pyræneos, Atlantæoſque receſſus
Victor *Gallus* eat, Criſtati & Cantibus oris
Evocet Auroram, Phœbumque cubilibus actum
Terreat, & geminos fodiat Calcaribus Indos.
Illius ad vocem, pavidi de more *Leones*
Speluncas, & luſtra petant; *Paſſæque* revulſas
Submittant *Aquilæ* plumas, calamoſque miniſtrent
Grande quibus ſurgat latum ſuper æthera nomen,
Scriptaque *BORBONICIS* centena volumina Geſtis
Vulgatis trepidum feriant annalibus Orbem.

FINIS.